



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXXV. De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

factum in favorem tertii, v. g. pauperis alendi, nec dispensatione nec commutatione tolli potest absque consensu illius, in cuius favorem effectum, seclusâ causâ publici boni.

4. Deficiētiā materiæ, si nimirum voti materia vel ex toto vel ex parte destruatur, si evadat impossibilis, vel desinat esse de meliori bono ob mutatas circumstantias.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

1. *Quid veniat nomine Statū Monachorum, & Canonicorum.*
2. *Ad quid Religiosos adstringat votum Paupertatis:*
3. *Votum Castitatis:*
4. *Et Votum Obedientia.*

Status in sensu latiori dicit quamlibet vitæ conditionem, strictè autem & hoc loco conditionem vitæ *stablem*, qua alteri tenemur adstricti: quales solummodo tres sunt in Ecclesia, nempe Clericorum, Religiosorum, & Conjugum. Per *Monachos & Canonicos Regulares*, qui inter se differunt per hoc, quod illi Regulæ strictiori, isti autem laxiori subsint, hic denotatur universitas omnium Religiosorum, qui per vota paupertatis, castitatis, & obedientiae sub aliquo

alendi,
al. potest
em est
oti ma-
si eva-
ri bono

Cano-

um, &

Paupr-

et vitz
oc loco
teri te-
sunt in
um, &
Regu-
illi Re-
hic de-
m, qui
tiae sub
iquo

aliquo Prælato se obligarunt ad dictas virtutes specialiter colendas, & ad certas regulas observandas. Unde dispiciendum, ad quid vi horum votorum, consequenter statutus sui, obligentur.

Dico I. Religiosi singuli, & in particulari, vi voti *Paupertatis*, accidente dispositione Ecclesiæ, non solum redduntur incapaces omnis dominii rerum fortinæ, & jurium, quæ aliquem reddunt divitem, ita ut nihil proprium habere possint, &, si quis tale quid animo proprietariò ac sine licentia Superioris habere certò deprehendatur, per biennium voce activa & passiva, ac mortuus carere debeat sepulturâ sacrâ. c. 2. 4. 6. h. t. c. 5. *de Regulari. Trid. f. 25. c. 2. de Regulari.* sed etiam liberum usum & dispositionem dictarum rerum non habent, ut iis uti absumendo, donando vendendo &c. aut etiam retinendo vel sibi applicando, nequeant absque licentia Superioris. per *Jura citr.* Quæ licentia potest esse vel expressa vel tacita, specialis vel generalis, immo & rationabiliter præsumpta, per quam intelligitur Superioris consensus, qui quidem nec expressè nec tacitè nec generaliter actu est datus, sed prudenter creditur dandus, si peteretur. Ut hæc licentia *præsumpta* sufficiat, requiritur, ut Superior hic & nunc adiri, & ejus consensus peti commodè non possit: si autem commodè peti posset, tunc demum sufficit ad vitandum peccatum proprietatis, quando Superior prudenter creditur non esse invitus *quoad Substantiam*, si v.g. Superior, quamvis optet semper peti licentiam expressam, sæpe tamen conniveat, licet sciat, quandoque non peti: quo casu solum censemtur.

tur esse invitus *quoad modum*, & non petens licen-
tiam solum venialiter peccat contra obedientiam
vel aliam virtutem, non contra paupertatem. Si
vero Superior simpliciter esset invitus *quoad omis-*
sionem petitionis licentiæ, licet crederetur rem
concessurus petitam licentiâ, non tam *quoad mo-*
dum, quam *quoad substantiam* invitus esse re-
censeretur.

Objic. 1. Qui in Societate JESU post Novici-
um emittunt vota Religiosa, quæ adhuc sunt sim-
plicia, retinent dominium rerum suarum, donet
nimicum à Superioribus jubeantur abdicare se do-
miniō, vel donec emittant *Professionem*, vel Co-
adjutores Formati *Vota Publica*: ergo Religiosi
etiam in particulari, non sunt incapaces dominii;
quod enim *Communitas Religiosa* etiam Mendi-
cantum (exceptis Minoribus de stricta observan-
tia) sit dominii capax, ordinavit Trid. *lo. cit. c. 3.*
2. Religiosi in particulari sæpe habent *peculium*,
seu *depositum*, vel etiam *libellos*, ut vocant, seu cer-
tos reditus annuos vel census, à parentibus vel
propinquis ad usum eorum assignatos: ergo ha-
bent liberum usum & dispositionem in his rebus.
3. *Consensus proprii Pastoris* merè *præsumptus*
non sufficit ad validè absolvendum à peccatis alienum
subditum: ergo nec licentia merè *præsumpta*
Superioris Religiosi ad validè & licite disponen-
dum de rebus fortunæ. *R. ad 1.* Iste casus est
exceptus à Summis Pontificibus Institutum Soci-
etatis JESU approbantibus. An vero, quamdiu
retinent dominium, solum illicite, vel etiam in-
validè, disponant tales Scholastici ejusdem Soci-
etatis, controversum est, ac decisio pendet ex eo,

an

an verba Gregorii XIII. in *Constit.* Quantò fru-
ctuosius: nec ulla re tanquam propria, & sine Su-
perioris facultate uti possunt, sint tantum narrato-
ria, vel potestatem disponendi auferentia, & sic
irritantia: quod declarare altioris est subsellii.
Ad 2. Illud peculium non aliter sustinetur, nisi
in quantum retinetur cum licentia Superioris, &
ad hujus nutum revocabile est: neque libelli,
nisi in quantum assignati cum licentia Superiorum,
& ab his revocabiles sunt, ac illi redditus con-
signantur in manus Superiorum; ad tales enim
libellos se non extendit juxta veriorem senten-
tiam, & praxim, Trident. c. 2. cit. Ad 3. *N. conf.*
& parit. quia ad absolvendum requiritur actua-
lis Jurisdictio, & actu concessa, cum absolutio
essentialiter fit actus jurisdictionis: econtra ut
aliquis evitet peccatum proprietatis, sufficit mo-
dò de rebus non disponat nomine proprio, sed
auctoritate Superioris, atque cum dependentia
ad ejus voluntatem: quod etiam fieri censetur
per respectum ad licentiam merè, rationabiliter
tamen, præsumptam.

Dico 2. Religiosi **vi voti Castitatis** obligantur
abstinere ab omni Venerea carnis delectione vo-
luntaria, tam interna quam externa. Id enim ex
natura sua exigit votum perfectæ castitatis. Unde,
cum in delectione Venerea, extra Matrimonium
plenè voluntariè admissa, aut studiosè quæsita,
non detur parvitas materiæ à peccato mortali
excusans, Religiosus contra castitatem peccans
duo committit gravia peccata, luxuriæ scilicet,
& sacrilegii, cum votum graviter obliget, & eo
modo, quo virtus castitatis, cui adjicitur.

Dico

176 LIB. III. TITULUS XXXVI.

4 Dico 3. Religiosi, vi voti *Obedientia* tenetur obedire Superiori, quæ illæ sub culpa praeposit justè, & quæ directè vel indirectè, explicitè vel implicitè, continentur vel pertinent ad Reglam vel Institutum, quod profitentur. Ratio pertinet ex natura hujus voti. Cùm igitur Superior habeat jus præcipiendi, quod non obsequend violatur, inobediens Religiosus non modò peccat contra Religionem ratione voti, sed etiam contra Justitiam: imò & peccat contra fidelitatem ob violationem promissionis. Præterea ex hoc voto adstringitur Religiosus ad observationem Regularum, quæ ex intentione Fundatoris obligant sub peccato.

TITULUS XXXVI.

*De Religiosis Domibus, ut Episcopi
sint subjectæ.*

SUMMARIUM.

1. *Quid sint loca Religiosa, Sacra, Pia.*
2. *Per se subsunt jurisdictioni Episcopi.*
3. *Quid requiratur ad erectionem novi Monasteri*

¶ **P**er *Domos Religiosas* generice intelliguntur loca cultui Divino vel aliis piis usibus authoritate Episcopi destinata. Si propter authoritatem Episcopi non interveniat consecratio, specificè dicuntur *Domus Religiosa*, *Monasteria*, *Collegia*, ac alia domus Regularium, *Nosocomia*, *Hospitalia*, *confraternitatem*.